





45

SPECIMEN IN AVGVRALE MEDICVM  
SISTENS  
APHORISMOS  
DE  
COGNOSCENDIS ET CVRANDIS  
INFANTVM MORBIS

QVOD  
AVSPICE DIVINO NVMINE  
EX DECRETO  
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICÆ  
PRAESIDE  
CAROLO AVGUSTO DE BERGEN  
MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD. EIVSD. FAC. h.t. DECANO  
HAEREDITARIO IN ROSENGARTEN

PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
LEGITIME IMPETRANDIS  
IN AVDITORIO MAIORI  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

SVBMITTIT  
AVCTORE TRESPONDENS  
IOHANNES SIGISMUNDVS SCHMID  
SILESIVS.

AD DIEM XXVIII. NOV. MDCCCL.



FRANCOFVRTI AD VLADRVM  
EX OFFICINA IOHANNIS CHRISTIANI WINTERI  
ACAD. REG. TYPOGR.



V I R O  
EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO,  
D O M I N O  
CHRISTIANO IOACHIMO  
L O S S A V,  
*FAMIGERATISSIMO APVD HAMBVR-*  
*GENSES DOCTORI MEDICO*  
SERENISSIMORVM DVCVM MEGAPOLI-  
TANO-STRELICENSIS AC SCHLESWIGO-HOLSATI.  
ARCHIATRO MERITISSIMO.

P A T R O N O O P T I M O

H A N C S V A M,  
Q V A P A R E S T, R E V E R E N T I A,  
DISSERTATIONEM I NAVGVR ALEM


d. d. d.

A V C T O R E T R E S P O N D E N S  
IOH. SIEGESMVND. SCHMIDT.

S I L E S I V E,


Tam





**T**am multa tamque praeclara sunt Tua, *Vir Excellen-*  
*tissime!* in me amoris atque benevolentiae documenta, ut, quod  
non Tibi acceptum ferendum sit, prorsus habeam nihil. *V*sque  
adeo Te duce promotore et largitiore literis consecratus traditus-  
que sum, ut, quamdiu vixero, fidelem, quam sub Tuis auspiciis  
expertus sum, manuductionem grato semper agnitus sim ani-  
mo. *S*ive enim pharmaceutica experimenta, sive chirurgiae et  
praxeos clinicae tentamina, quae apud imperitos proh dolor!  
saepe per mortes hominum fiunt, speles, non alium Te ipso mo-  
nitorem et ducem, qui suis salutaribus consiliis ceu filo ariadnaeo  
his Labyrinthe anfractibus me feliciter expedivit, habuisse laetus  
recordor. *E*xcede igitur has meorum projectuum primitias,  
quae, uti abs Te primas duxere origines, ita ut ad Te redeant,  
justissimum est, quas si probatas acceptasque Tibi video, erit  
sane, quamobrem mihi non summopere tantum gratuler, verum  
etiam nulli in reddendis gratiis secundum me patiar futurum.

*Vale et mè in posterum paterno affectu complesti ne  
define.*





uemadmodum artium nulla, nequidem  
abjecta, vilissima, vel mercenaria  
culturibus suis liberum et privilegia-  
tum concedit exercitium, nisi qui opificii, quod suum  
faciunt, praeclarum aliquod ediderint specimen; ita  
non minus a majoribus justissima lege sancitum esse  
zovimus: neminem, qui medicinam, artium libera-

A

lium

lium omnium praestantissimam, salutarem et prope  
divinam, sine qua in vita nihil suave, nec magnis  
quidem Principibus esse solet, profitetur, ad ar-  
tis Apollineae liberum exercitium, supremosque ho-  
nores capessendos admitti, nisi salutaribus p̄rae-  
ceptis adeo innutritum, ut quid valeant humeri,  
quid ferre recusent, publico aliquo specimine mani-  
festare possit. Quae quum ita sint, et Dominus  
Candidatus supremos, eosque doctorales ambiat ho-  
nores, visum est ipsi speciminis inauguralis loco,  
MORBOS INFANTVM in compendio et in nuce, quod  
ajunt, publice exponere, qua in re ut intelligentium  
assensum et applausum mereatur, omnes profectuum  
suorum vires collocat, seseque Lectoris bene-  
volentiae commendat.



Apho-

\* \* \* \* \*

APHORISMI  
DE MORBIS INFANTVM COGNOSCEN-  
DIS ET CV RANDIS.

- I**nfantes juxta HIPPOCRATEM dicuntur pueri intra primum septenarium constituti, nos latiori sensu incedentes affectus secundi septenarii nostros quoque facturi sumus.
2. Morbi, ut in quavis aetate, ita et in pueris, supponunt actionum et motuum principalium graviores vel minus graves laesiones.
  3. Cura infantum eo magis sollicitum tenet medicum, quo certius est, hos nec indigentiae suae et salutis sensum, nec loquelae facultatem, nec usum incessus habere, sed totos, sub miserrimo ploratu ab aliorum lege et arbitrio pendere.
  4. His adde (3): signorum diagnosticorum ex pulsu et urina insufficientiam tanto intricatiorem reddere therapiam morborum infantilium.
  5. Morbi infantum sunt vel *proprietatis*, qui nulli alii aetati quam infantiae competit; vel *congrui*, quibus frequentius, quam homines adulti laborant infantes; vel *communes* quamcunque aetatem adorientes.
  6. Intra cancellos infantilis et puerilis periodi subsistentes morbos infantum *proprios* et *congruos* (5), hac in tractatione duntaxat nostros facturi sumus.
  7. Morborum infantilium *propriorum* (5) dantur quae-dam causae generales in ipsa infantum constitutione, praegnantisque vel nutricis conditione fundatae, quae commode referuntur (a) ad *vitia gravioris partus* (b) ad *vitia malae conformatio-nis* (c) ad *vitia gestorum in utero* (d) ad *vitia pravae*

*pravae lattis qualitatis, ac uberem acidi primis in viis proventum,*  
*(e) ad habitum corporis laxiorem, nec non succorum pituito-*  
*sorum redundantiam. (f) ad dentitionis negotium. (g) ad la-*  
*bem haereditariam.*

8. Qvum vitia regiminis et diaetae recens nati ad secuturos disponant morbos, hoc quoque officio, ut medicus suis consiliis defungatur, necesse est. Huc spectant, corroboratio ejus, si debilis fuerit, purgatio meconii et cordium ventriculi, bonae nutricis elecio, pulmentorum moderatus usus.

9. Corroboratione debilis (8), fit, si, loco aquae, vel vino, vel aqua et vino mixtis, infans abluitur, et aeris injuriae studiose arcentur.

10. Purgatio meconii (8), ob collecta per moram in utero excrementa, supramodum necessaria, fit commodissime et tutissime exhibito colostro, vel dato oleo amygd. dulc. addito sacharo, vel quoque levi syrupo laxante.

11. Tenuis tota fistula ipseque ventriculus (8) a liquoris amnii residuo scatet multa saburra strigmentisque glutinoris, a cuius neglecta evacuatione, nausea, vomitus, singultus, tormina. Prodest itaque jejunium aliquot horarum, quo durante pauxillum vini cum melle, aut lenissimus ad vomendum vel purgandum stimulus, quandoque epithemata spirituosa porrigitur.

12. Nutricis requisita (8) sunt dotes corporis et animi bonae, lac bonum et laudabile.

13. Bonitatis in lacte notiae sunt dulcedo grata, color subcoeruleus, non impensè albicans, nec in flavedinem vergens, consistentia nec nimis tenuis, nec nimis spissa, tremoris successiva, iterata, et sufficiens producacio, facilis et copiosus per vias urinarias transitus.

14. Nulla vesci pulte (8) quartum ante mensem, quantitate et qualitate lactis illibata, tenellis proficuum est, et si requiritur, quae ex mica panis albi, praestat illis ex farina confectis.

15. Morbis a partu proximis, quique potissimum graviores parturientis labores pro causa habent (7. a.) accensimus *āvādhyātāv*, *hydrocephalum*, *umbilici tumorem*, *oppletionem pectoris*.

16. Tum partui laborioso, tum praeternaturali foetus debilitati tribuendum est, si quando extracti ex utero pueri vita levissima indicia praebent, et truncus instar immobiles jacent. Adfectum vocant *āvādhyātāv*, quem roboratione infantis per topica spirituosa curare solent medici.

17. Quidam pectori infantum imponunt secundinas adhuc calentes, quas una cum capite fovent linteis vino calido imbutis, plantas pedum fricant excutia, et faciem halitu masticati aromatis fovent.

18. *Hydrocephalus* (*der Wasserkopf*) est tumor capitis aquosus, mole saepe monstruosus, a lymphae ex vasis lymphaticis sub graviori partu ruptis effusione natus. Dividitur in externum et internum, quorum prior intra communia integumenta, posterior intra meninges sub calvaria sedem habet. Signa posterioris ex laesione functionum animalium desumuntur; externus periculo vacat, internus saepe deleterium post se trahit exitum.

19. Curatio externi *hydrocephali* (18.) consistit in applicatione fomentorum discutientium atque exsiccantium. *Internus*, qui discutientium vires eludit, requirit aperturam aquarum effluxum, et scitam vulneris consolidationem.

20. Hujus quoque loci est *tumor umbilici* indolens in rencens natis a nimia funiculi contrectatione sub partu formatus, cuius medelae justa tumoris repositione et ejusdem in situ naturali firmatione prospicimus. Probe vero discernatur ab hernia umbilici, ubi peritoneum vel omentum in consensum rapitur.

21. Nimiis clamoribus et tussi fortiori eundem affectum in acceptis ferunt, ubi constantior compressio impositione emplasti

plastri styptici, lamina plumbea et convenienti fascia muniti obtinetur.

22. Ex recensitis caussis (20. 21.) saepe umbilicus inflammatur, quo casu sacculi discutientes in vino rubello coeti profunt; accedente autem putrilagine, balsamicis ex serpentaria Virginiana, scordio, myrrha et camphora etc. opus est.

23. *Oppletionem pectoris cum roncho* recens natorum (15) (Das Nötheln der neugebohrnen Kinder) pariter tribuumus effettibus partus laboriosi, dum infantes, praeter mucum in bronchiis et primis viis haerentem, copiosam uteri et vaginae sanguinem ore attrahunt, facile transit in asthma vel catarrhum suffocativum. Curam expeditunt levia emetica et posthaec lenia laxantia et clysteria iterato data.

24. *Malae conformatio[n]is vitiis* (7. b.) annumeramus frenulum linguae nimis breve, ranulam, futuras hiantes, pollicem succenturiatum, anum imperforatum.

25. Musculosum ligamentum symphysi maxillae inferiores et lingvae cohaerens anatomicas vocatur *frenulum lingvae*, quod tam breve aliquando est, ut ad apicem lingvae excurrat, eamque maxillae contiguam et fere immobilem reddat.

26. Omnis cognitio medici, in cognoscendo vitio frenuli in eo posita est, ut cognoscat, idem esse tam breve, ut suctionem et motum lingvae impedit; quaevis enim frenuli brevitas non statim sectionem indicat necessariam, sed illa demum, quae sub impetu suctionis prehensem ore papillam cum strepitu demittit et suctionem frustratur.

27. *Operatio* non fiat per quamvis forficem vel cultrum, multominus ungvium lacerationem, quod imperitis obstetricibus solenne est; sed per certum ac tutum instrumentorum apparatum, quem *Acta Pariska* novissime literis consignarunt.

28. Indidem nunciamus, operationem hanc optime licet institutam, periculo nunquam vacare, propter duplēcē, quem

quem sorritur, effectum, haemorrhagiam scil. non facile si-  
stendam et liberam nimis lingvam.

29. *Haemorrhagia*, ob continuam tenellorum suctionem,  
non facile sistenda, sui generis peculiarem requirit deligatio-  
nem.

30. Lingva liberior reddit a impetu suctionis natu-  
ralem alumnis retrahitur, retracta, hoc motu continuato, api-  
cem revolvit, quae pharyngi intruditur, et glottidem clau-  
dit; infixa pharyngi deglutitionis nisum in tenellis auget, et  
brevi suffocat.

31. *Novus hic prorsus morbus*, quem nostrates perperam  
catarrho suffocativo, ex aliis caussis supervenienti, adscribunt,  
repositione linguae revolutae per digitos ori immissos cura-  
tur; praecavetur autem sedula attentione praesentium ad re-  
spirationem infantis dormientis, frequenti partim mam-  
marum, partim noduli lacte vel pulte pleni, admotione.

32. Tumorem sublingualem a colore, forsitan et melius a  
frigiditate nominatum, sensim succrescentem, oedematosum  
mollem, lymphaticum, magnitudine varium, suctionem in la-  
tentibus, loquela et deglutitionem in paulo adultioribus  
turbantem, *ramulam* vocant practici.

33. Incipiens tumor admittit dec. plantaginis cum syru-  
po diamori et derivandi scopo clysteres, laxantia, diaphoretici  
ca fixa, quibus si non auscultat, subjungatur apertura tumoris  
ut exeat humor contentus ovorum albuminis similis, postea  
vulnusculum mundiscetur melle, liquamine myrrae et dec.  
hordei. Rudioris potius juxta nos frenuli lacerati seque-  
la, quam lactis nimis acris aut malae conformatiois vicium  
est. Calculi saepe hic concreti inveniuntur.

34. *Suturae nimis hiantes* in parti infantis nimis debilis  
aut praecocis modesta constrictione fasciarum, quibus tenelli  
caput involvitur, firmantur

35. Huc pertinet *pollex duplex*. Succenturiatus saepe  
numero

numero pollicis veri primo articulo est accretus, ejusque motum sequitur. Cura duplex est; constrictio fortissima vel sectio momentanea. Posterior, utpote magis tuta fit caestrum, pollice prius tabulae imposito, circa tertium vel quartum à partu mensem. Haemorrhagia sistitur crepitulupi, curaeque reliquum absolvitur vulnerariis & consolidantibus.

36. *Ατρητῶν* difficilis cura est. Si futura quaedam tumida ani vestigium constituit, haec quantocytus, et quidem ante supervenientes convulsiones scalpello est aperienda, quam si sequitur meconii excretio, vulnusculo turunda vulnerariis et digestivis imbuta est immittenda, relinquenda, et post alvi exonerationem reponenda. Nullo autem ani vestigio apparente, vel si pone sphincterem membrana, vel caro solida concreta recti intestini cavitatem replet, conclamata res est, et pueri fatis cedunt.

37. *Ad vitia gestorum in utero* (7. g.) retenti imprimis meconii symptomata referimus, alvi constipationem et hinc subsecuta tormenta ventris, pavores sub somno etc.

38. Omnibus his vitiis (37) facile obviam itur purgatione meconii pharmacis obtenta, clysmatibus oleosis vel exferro lactis cum melle confectis, suppositorio ex rheo et sapone, potu seri lactis et mellis, linimentis oleosis et emollientibus.

39. *Adfectuum pravam lactis qualitatem ac uberem aciditatem in primis viis proventum* (7. d.) accusantium plures sunt quam quod hic perfunditorie duntaxat tractari possint. Prolixus malorum inde natorum catalogus, tormenta et flatus, obstrutio, singultus, nausea et vomitus, cardialgia, pavores sub somno, vigiliae, iuterus, motus convulsivi, scroti excoriatio, intertrigo, atrophia, apthae et quae plura sunt, nos vera dixisse comprobant.

40. *Tormentum in infantibus a lacte corrupto* (39) diagnosis desumitur a faecibus, alvinis a flavedine naturali in viridem colorem mutatis, et acidum spirantibus, copiosis flatibus,

ven-

ventrem inflantibus, alvo magis adstricta quam laxa, puerorum inquietudine, dum pedibus calcitrant, mammas respuunt & continuo plorant.

41. Lactis vitia, ut torminum caussa, eo magis culpanatur, si nutrix in diaeta et regimine peccat, mammas aeri exponit frigido, acidis, falsis, fumò induratis, vel fructibus pomiferis nimium delectatur.

42. In prognosi notamus: eo plus periculi infantibus imminere, quo sunt teneriores, tormina pariter quotidiana, epilepsiam plerumque praesagire.

43. Curationem aggredimur 1.) correctione acidi in primis viis per absorbentia marina s. ostracodermata cum antispasmodicis sociata. 2.) Evacuatione per clysmata, syrups laxantes, potiunculas ex aqua meliss. cer. nigr. sap. ven. vitell. ov. cryst. mont. syr. de cich. c. rheo confectas. 3.) Applicatione topicorum sedantium et roborantium per lenimenta carminativa, frictiones, pediluvia. 4.) Exhibitione eorum quae lac nutricis corrugunt.

44. Qui ex lacte corupto vel pulmentorum copia aliis adstritione (39) laborant infantes, iis praeter commendata laxantia (43) auri fulminantis granum semis, vel pars tertia grani in vehiculo absorbentis confert pulveris, non minus ventris innundatio cum butyro liquefcente ad calidum fornacem, vel femorum et clunium lavacrum cum frigida: miscendam ab aliis laudatam stercorariis relinquimus officinis.

45. Singultus (39) ab eadem caussa, eadem propemodum (43. 44.) poscit remedia, nisi quod lenis emelis per plumulam oleo madidam et ori immixtam tum procuranda sit, si de nimia lactis injurgitatione constat. Lenimenti scopo praestans est oleum mastichinum cordis scrobiculo illinitum. Qui in tenerissimis infantibus observatur singultus transitorius, ut a levissima refrigeratione, ita nullius periculi est.

46.) Nausea et vomitus (39) à qualitate lactis morbosā si  
B  
cum

cum multa coaguli rejectione est, promoveatur syr. conveniente v. g. florum pericorum vel oxymelle squillitico vel hypcacuanha; ille vero qui à lactis optimi repletione contingit, periculo vacat, modo a nimia sugendi aviditate arceantur mammothrepti.

47. *Cardialgia lactantium* (39) *Cardiogmus das Herzgespahn der Kinder* est idem sinistri ventriculi dolor ac in adultis. Adesse praesumitur, si post praegressas inquietudines, alvi segnitem, nauseam, vomitum, praecordia et hypochondria tument, cum primis circa scrobiculum cordis et dextrum hypochondrium, qui uti in lactentibus a lacte corrupto, ita in ablactatis a potu frigido, in primis nocturno, fermentescente, cibis pinguibus, fructibus horreis, suas ludit tragedias. Quae tussis sicca febris succedit, invisto adhuc malo, ad lentam disponit tabem.

48. In therapia hujus adsectus primarum viarum cruditates acidо caseosae protinus laxantibus vel emeticis expungantur. Vomendi fine praelaudati syrupi (46), purgandi autem mercurius dulcis, vel aurum fulminans in convenienti dosi prosumt, non neglectis simul absorbentibus antacidis. Quidam hic magni faciunt sulphur antimonii solare ob anodynum simul effectum, sed parcissima quantitate exhibutum. In confirmato morbo eodem procedatur modo ac in atrophia a lacte corrupto.

49. *Pavores sub somno* (39) à torminibus ex eadem caussati, qui pertinaces longam noctem moram, plerumque motuum epilepticorum prodromi sunt. Pulveres absorbentes marini, antispasmodici aut antiepileptici, quibus gummi Arabicum vel tragacanthae sociantur, omnem curationis paginam hic absolvunt. Ab ira & terrore praecaveantur quam studiose.

50. *Vigiliae* (39) *clamores et ploratus continui, imprimis qui cum vomitu caseosi magmatis conjuncti sunt de lactis coagulo*

gulo testantur. Praeter memorata absorbentia, praecipitania ac laxantia, iteratam frontis inunctionem cum lacte materno, vel oleo anethi et violarum requirunt. Conducunt quoque emulsiones papaveraceae.

51. Iterus periodicus (39) ex caseoso coagulo bilis flu-xum per intervalla cohibente natus, probata (43. 48.) qui-dem admittit aperitiva, commodissime autem rheo et cassia invicem junctis profligatur.

52. In motibus convulsivis à latte corrupto (39), ut pluri-mum praecedunt praeditorum aliquot symptomata (40. 44. 47. 49. 50.). Brevi adfuturos nunciant oscitationes, pandi-culationes, brachiorum tensiones, palbebrarum ac bulbi ocul-aris motus sub somno: eo semper periculosiores, quo in-fans nativitati proximior & quo saepius recurrent.

53. Cura vomitum imperat qui, si sponte deficit, cietur pulvere ex ypecacuanha et sacharo rosato, vel oxymelle squillitico. Quibus praemissis absorbentia, imprimis specifi-ca cum pauxillo castorei, sacculi non minus discutientes in laete cocti, et ventri impositi, una cum lenimentis nervinis cer-vici et temporibus applicatis subjungi possunt. Pro vixtu sint jusculta carnium tenuiora, Nutrix vitet iram et terrorem, utaturque antispasmodicis.

54. Soli lactis abundantiae, absenti omni alia labe, tribu-endum est, si quando pueris ex frequenti et copiosa mictione scrotum, pudenda, femora et clunes excoriantur, quod symptom-a sedatur linteis mundis, frequentius mutatis et impositis, nec non inspersis topicis exsiccantibus.

55. Ab acrimonia seri à lacte vitio pendente in recens natis aequa ac paulo adulatoribus nascitur intertrigo (39) der Ansprünge, quae est excoriatio sive soluta unitas ulcerofae cuticulae cum rubore cutis inflammatorio, non solum clunes et inguina, sed et totum fere corpus occupans. Ex ardore

pueri, non equidem in periculo versantes, inquietas et vigiles noctes transfigunt.

56. Curatio partim nutricem partim infantem respicit. Nutrii praebeantur lac corrigentia, pulveres absorbentes cum semine foeniculi, sal volatile oleosum foeniculatum, potus tenuis aquosus, infantibus dentur pariter cum lacte pulveres absorbentes marini, emulsiones papaveraceae; externe, ea quae exsiccant et ardorem sedant. Exsiccantia hic sunt tut, ppt. lap. calam. creta, pulvis rad. glyzirrhizae etc. Cremor lactis cum his pulveribus in unguentum redactus, aut amyli farina cum aqua rosarum subasta sedantem effectum praestant.

57. Effectu lactis coaguli intestinorum et ventriculi latera incrustantis crassus adeo generatur chylus, qui glandulas mesenterii sensim infarcit et *atrophiam* (39) *lactantium* causatur. Gravis sat adfectus pleniorem descriptionem meretur.

58. Antecedentes e linginquo inquietudines, anxietates praecordiales excipiuntur feces liquidi copiosi, viscidi, rofidi, subviridis ex parte coagulati, abdominis tumore et duritate, febricula, cum paulatina membrorum contabescientia et flaccescentia.

59. Hic adfectus, qui quarto mense vel serius ingruit, in lactentibus facilius curatur quam ablatatis, glandulis autem mesenterii jam scirrhosis factis, omnis spes curae decollat. Differt, a rachitide, crinonibus, et membrorum aridura, signis aequae ac caussis.

60. Curam aggressurus primas primum vias liberet faburra seu coagulo. Quo fine purgantia ex consuetis syrups et secundum SYDENHAM Y M rhei infusum in cerevisia tenui conferunt, interpositis non minus, quae inertis suppetias fermenti bili, v.g. pilulis ex mica panis et anguillae felle confectis, cum vero his omnibus obstructae glandulae mesenterii & vasa lactea varicosa non referentur, nova indicatione opus est.

est. Substituantur itaque balnea circa vesperam ex herbis resolventibus, emollientibus, frictiones modestae cum pan-nis calidis, topica resolventia ex ungv. mart. dialth. gum. ammoniac. soluto etc. quae omnia, exceptis balneis, quotidie in usum vocari merentur.

61. Ex eodem lactis vitio pueris paucos dies natis efflo-rent escharae albicantes, linguam, palatum, fauces etc. obli-dentes, quae absente febre, clamantes et inquietos reddunt pueros, fugendique facultatem praepediunt, vocantur *aphthae* (39) benignae. Quidam negant, lactis hic culpam jure accusari, sed causam tribuendam esse sanguini materno et polydaeda-lae isti impuritati, quam in utero contrahunt tenelli.

62. Limitando futuras praedicamus aphthas ex inquietu-dine, vigiliis, spirandi et deglutiendi laboribus, aestu pecto-ris reciprocante et immoderatore, suctionis impedimento, saliva spissa, levi linguae intumescentia, oris calore, mammis sensibili.

63. Obstetricum observatio est morbum ut plurimum no-vem dies perdurare, et post maturitatem successivam, in sin-gulis pustulis discrepantem, evanescere: frequentius grassari-aestate quam hyeme propter atmosphaerae calorem; fre-quentius quoque adoriri infantes, quorum matres gravidae ve-nefectionem negligunt.

64. Ad lac acre corrigendum prosumt acidum destruentes pulveres, ac syrapi laxantes. Os tenelli eluatur saepius aqua salviae cum melle rosaceo, ope penicilli; vel si admodum copiosae sunt escharae, dolor qui inde nascitur, mucilagine sem. cyd. sedatur. Mammae nutricis contagium ab ore fugentis excipientes et apthas correptae, vino saepius abluan-tur. Proprium denique pueri lotium egregie os ipsius mun-dicat.

65. Aphthae cum febre stipatae, coloris sunt magis fla-vescentis et majus periculum adferunt. Primarii morbi sym-potoma

ptomata sunt, adeoque effectus conflentantis cum morbo naturae. Curam infra tradituri sumus.

66. Morbi infantiles (7.e.) qui ab habitu corporis laxiori, nec non succorum pituitosorum redundantia oriuntur partim catharrhalis sunt indolis, partim limphae simul acrimoniam produnt, et sunt *coryza*, *tussis*, *uvulae relaxatio*, *tonsillarum tumor*, *aures manantes*, *paroides*, *scrophulæ*, *achores*, *favi*, *tinea*, *scabies*, quique promiscue ante et post dentitionis terminum infantes corripiunt.

67. Causis generalibus, cur adfectus catarrhales infantum potissimum in capite sedem habent, praeter refrigerationes externas nativae tenellorum conditioni, qua grandi capite et magna cerebri mole nascuntur, tum et paulatino humorum adfluxui ad dentes producendos, in acceptis referimus.

68. *Coryza* infantum non nisi modum excedens, medici poscit opem. Pueris evacuanta cum mercurio dulci, et quae lympham corrigunt in refracta dosi, v. g. tinctura antimonii etc. nutrici alexipharmacæ Ess. scord. pimp. alb. Liq. CC. suc. tinct. antim. etc. conducunt. In gravedine narium meatus expediuntur butyro maioranae.

69. His adfectibus (66) adnumeramus *Tussim*, quae in infantibus stomachalis, pectoralis et convulsiva est.

70. *Tussis stomachalis* tenerae aetati fere propria cognoscitur ex respiratione satis libera, tussi tandem persistente, donec vomitus sequatur, levamine a vomitu temporario. Facile degenerat in asthma stomachale, quod cum anhelosa respiratione est conjunctum.

71. Cum, quæ ventriculum evacuant, hic proficia sint vomitorium ex oxymelle squillitico vel rad. ypecach. vel decocto raparum locum habet; bechica vero frustra commendaveris.

72. Ex defluxione in asperam arteriam vel refrigeratione partium externalium oritur *tussis pectoralis* cum febricula cather-

tharhali saepe stipata, absente omni vomitu. Haec praeter bechica cum lenissimis anodynis maritata, blanda diaphoretica fixa sua facit pharmaca.

73. *Tussis convulsiva f. ferina* (69) audit, quae epidemice grassetur ac stimulos suos ex ipso mutuantur aere, tum ventriculi tum pulmonum membranas occupantes. Alia cum, alia sine vomitu contingit. Tanto impetu pueros convellit, ut sub paroxysmo, qui per aliquot horarum intervalla revertitur, membra frigeant, facies ex copioso sanguinis appulsa livida quasi reddatur. Convulsionibus correpti sub paroxysmo raro elutetantur.

74. In cura ferinae tussis cum vomitu profundunt lenia emetica et his subiuncta laxantia et antispasmodica. Ubi vomitus desunt SYDENHAMVS primario commendat venae sektionem, remedium per se hic quidem utilissimum, sed respectu nostratum chirurgorum difficilis apud infantes exercitii, quam excipere possunt infusum serpilli cum sacharo, tintura croci, vel sperma ceti in jusculis avenaceis, pediluvia ex decoctis emollientibus, pedum inunctio cum taxi penguedine seu medicamina anodyna & antispasmodica virtute praedita. In utraque specie conductit serum lactis a caseo recens facta pro potu ordinario. Specifica a quibusdam autoribus praedicantur, ut muscus pyxidatus ex queru pendens in pulvrem redactus, syrpus ex succo millepedum in vino maceratorum, quibus tamen palmum praeeripit decoctum oreofolini.

75. Infantibus paulo adulatoribus congesiones fiunt ad tonsillas, uvulam, velum pendulum palatinum (66), unde haec partem tument et relaxantur. Congestionis causa est vel serum viscidum, seu pituita, vel sanguis stans inflammatoriam producens.

76. Signa utriusque hujus adfectus sunt tumor partium adfectorum, deglutitio difficultis. Congestio pituitosa indicatur tumore albido, pituitae screatu & affluxu, absentia febris

et

et inflammationis. In tumore inflammatorio adsunt ardens dolor, rubor, febris, sitis, appetitus postratus.

77. *Congestio pituitosa*, per se periculi expers, discutientia ac resolventia in- et externa poscit, adhibitis emplastris et mixturis resolventibus, nec non gargarismatibus abstergentibus et mundificantibus. Cura *congestionis inflammatoriae*, quae aliquando metum suffocationis et gangrenae iucutit, venae sectionem, pulveres et potionem antiphlogisticas, diapnoicas sua facit remedia. Anginarum specificum, pappum scilicet linagrostidis sacculis exceptum, efficacem hic sistere medicinam, nulli dubitamus.

78. *Aures manantes* (66), teneris infantibus aequae ac pueris paulo adultioribus familiares, naturae nonnunquam crisi pro causa agnoscunt ad praecavendos favos et achores. Ut beneficium naturae, pessime ferunt exsiccantia et adstringentia. Quae discutiunt, leniter mundificant, ut decoctum anethi vel salviae cum melle, curam absolvunt.

79. *Parodites* infantum germ. Ohren-Beulen (66) differunt a simili affectu adulorum caussis et effectu. Oriuntur a stasi humorum imprimis lensorum v. g. achoribus repulsis. Difficile suppurant, facilius tamen ac in adultis. Aegroti vel medici culpa neglectae in salsa et acres ulcerationes abeunt.

80. Curam exordimur discutientibus epithematibus ex spiritu vini crocato, camphorato, herbis et radicibus ejusdem virtutis, quibus incasum adhibitis, suppuratio tentanda per cataplasmata ex lacte et emollientibus, qua obtenta, et emissio pure, reliquum curae mundificantibus et consolidantibus absolvitur.

81. Colli tuberculæ vel solitaria vel congregatim et concatenatim collum obsonientia sunt tumores glandularum colli scrophulae diæti (66) pueris ex chylo crudo, aere humido etc. subnascentes, quæque sensim et pedetentim vel quoque simul et semel cum febricula ephemera succrescant.

82. Po-

82. Potissimum sunt prodromi achorum (84) vel aurium manantium (78), quibus apparentibus solvuntur. In ulceris depascentia ac verminosa degenerata constituunt den Wurm schaden der Kinder.

83. Curam expedient purgationes primarum viarum, postea autem pulveres diaphoretici fixi, decocta aperientia, et quandoque, additione herbarum marrub. alb. geran. Rob. apii, agrimoniae, specifica. Tumor in suppurationem vergens ad instar furunculi tractetur, necesse est.

84. *Achores, favi, et crusta lactea* (66) sunt adfectus, qui gradu duntaxat inter se differunt. *Achores* sunt ulcuscula capitis manantia pueris familiaria. *Favi* dicuntur haec ulcuscula, si manans humor coloris et consistentiae mellis est. *Crusta lactea* vocatur si manans humor adeo spissus est ut brevi mora in albas densetur crustas.

85. Horum adfectuum (84) caufa latet in seri salsi viscidii et acris vitiis, in glandulis subcutaneis capillatae cutis stagnantis; non exclusis aliis caussis concurrentibus, sudoribus repulsis, aeris injuriis, cibis crudis, laetis prava qualitate etc.

86. In triplici adfectu pruritus est continuus, pueri sitiunt, imperfete concoquunt, et valetudinarii sunt, interim periculo vacant hi morbi, imo a pejoribus praecavent, retroupsi febres et convulsiones post se trahunt.

87. Curatio triplici adfectui (84) communis, iteratas in ablactatis requirit purgationes, et diaphoreticorum fixorum usum. Externe memorata (56) exsiccantia pulverulenta profundit. In lactentibus matres l. nutrices bibant decocta lympham et sanguinem purificantia. Crustam lacteam abrasis capillis emolliunt oleosa ex oleo ovor. hyper. lil. alb. quae si nimis sicca est et furfuracea, herbarum saponacearum v. g. lapathi acuti vel saponariae lixivio mundificatur. Partes mundificatae inunguntur bals. sulph. amygdalat. et adipe

C

por-

porcina. Diaeta sit laudabilis ex cibis eupeptis et potulentis admodum diluentibus.

88. *Tinea* (66) der böse Grind, affectus capitinis crustaceo-ulcerosus saepe ex labe haereditaria, nonnunquam ex praegressis modo recensitis (84. 87.) morbis, eorumque causis nascitur. Diversos aggnoscens gradus dividitur in tineam siccam, humidam et lupinam.

89. Inveterascens malum alopoeciam s. leprae speciem constituit. Ob pertinacem et rebellem morbi indolem pueri difficile curantur, pravissim coloris, immunes caeteroquin à multis aliis morbis. Quod interdum nulla medicamenta, id saepe aetatis mutatio in domando adfectu valet.

90. Omnis indicatio curativa circa seri acris acrimoniam mitigandam, et derivandum a capite affluxum versatur. Laetentibus propinuntur syrapi laxantes ac pulveres acrimoniam inbibentes, externe decocta et unguenta emollientia et mundificantia lixivia (87). In ablactatis usu veniunt laxantia mercurialia, tinturae antiscorbuticae, sanguinis acorem corridentes, decocta diluentia, nec non topica praelaudata.

91. Hujus quoque loci *scabies* (66) est, et quidem humida infantibus familiaris, quae conflat pustulis sanioso humore turgidis digitorum maxime articulos obscientibus. *Siccam*, utpote adultis infestam, minus contagiosam, magis chronicam, hic missam facimus.

92. Causa scabiei humidae latet in copioso humore falso et acri, à seri sanguinis vitio dependens. Adfectus per se periculo vacat, nisi praepostera medela pustulae retropellantur.

93. Haec scabies (91) curatur exhibito prius purgante mercuriali, substitutis postmodum pulveribus diaphoreticis fixis, quos sulphur, vel ejus lac aut flores ingrediuntur. Externe nocent repellentia, sulphurata, sed profundit quae resolvendo leniter exsiccant. Palmam praeripit unguentum mercuriale ex mercurio praecipitato albo et unguento pomato, quod

quod quavis vesperi, magnitudine avellanae articulis infri-  
etur. Finem curae iterata imponit catharsis. Quoad regi-  
men mundities vietus et amictus sedulo observetur.

94. *Dentitio* (7.z.) licet opus naturae sit, tot tamen sae-  
pe gravibus symptomatis est stipatum, ut merito dixeris, plus  
rimos infantes, qui moriuntur, hoc in negotio succumbere.

95. In dentium proruptione natura istiusmodi tenet or-  
dinem, ut primo dentes incisores maxillae inferioris, mox su-  
perioris, postea canini et denique molares erintantur, adeo  
ut à sexto mense usque ad completum biennium hoc nego-  
tio occupatos videas infantes. Duplex coeteroquin est pro-  
ruptionis tempus, alterum, quo gingivarum supremus margo  
absque aliquo tumore, albido quodam circulo notatur, alte-  
rum, quo dens mole jam austior tumidas ac inflammatas red-  
dit gingivas.

96. Signa dentitionis difficilis sunt: aestus infantum pae-  
ternaturalis, pavores sub somno, inquietudines, vigiliae, spif-  
fae salivae continuum stillicidum, intumescencia gingivarum  
aut rubentium aut pallescentium. Infantes lac avide sugunt,  
papillas mordent, manus ori crebrius admovent, et aut solu-  
ta aut obstipata laborant alvo.

97. *Dentitio* periculi plena est, imprimis in pueris succi  
plenis et qui multum dormiunt et obstipata naturaliter func-  
alvo. Irritatae ac crispatae gingivarum papillae nervorum  
consensu intestinales nervos et papillas nervosas afficiunt,  
quibus affectis, diarrhaea, si succedit bonum est, sin minus  
convulsiones saepe lethales subsequuntur. Iuxta Hippocra-  
tem febre acuti correpti dententes pueri convulsiones effu-  
giunt.

98. *Curatio dentitionis difficilis* absente diarrhaea et convul-  
sionibus est vel externa vel interna; illa requirit lenitiva,  
mucilaginosa, antiphlogistica ex decocto lacte cum herbis  
emollientibus, cuius tremor gingivis affricatur, cerebro lepo-  
rino,

rino, sanguine columbae, cristae galli etc. Crescente autem inflammatione SYDENHAMVS venaefectionem, HARRISIVS hiridines pone aures commendant. Extenuationem gingivarum per attritum ad corpora dura haud adeo utilem & necessariam censemus, lardi crusta sufficit. Interna requirit cura potum diluentem, potiunculas antispasmodicas et clysteres emollientes, si alvus sicca fuerit.

99. *Diarrhaea* sub dentione difficulti, si vires non atterit, sibi relinquatur, fecus autem, si modum excedit, absorbentibus et antifebrilibus, nec non linimentis stomachicis temperanda venit.

100. Pusilli, qui nec salivae nec alvi fluxum experiuntur epilepsiae periculum facile incurront, quae nisi promptissime sistatur, pueros intra *vuxθημερον* jugulat. Quae ergo salivam et alvum leniter moyent, hic proficia sunt, haud tamen ad summam proficiunt, quin aliquando necessitas coget ad specifica aut epileptica confugere, quo titulo praeter oleum succini, spiritum CC. spiritum ex crudo serico paratum, oleum sulphuris per campanam, marina testacea, teste HARRISIO sunt optima. Aquam spirituofam Carmelitarum, *eau des carmes*, sub forma eleosachari mira praestasse in compescendis convulsionum paroxysmis auctor est D. D. Praeses. Videntur autem specifica esse efficaciora, si magis prophylactice quam curative adhibentur. Multis proin apud nostrates magnatum in usu est recens natis, per primas quatuor septimanas, quavis nova lunae phasi ingruente, pulverem ante epilepticum porrigere, quo modo à convulsionibus immunes praestari dicuntur infantes.

101. Quodsi secundo eruptionis tempore (95) tumentes gingivae, ne quidem, convulsionibus supervenientibus, dentibus exitum concedunt, protinus incidentur. Instrumentum non sit phlebotomus seu lanceola sed scalpellum cuineiforme, cassioris nempe dorsi, ne factum vulnus nimis citto iterum concrecat, et magis resistenter cicatricem formet.

Locus

Locus incidentus tumore et inflammatione indicatur. Incisio fiat in summitate secundum curvaturam gingivarum supranitentem dentem. Transversalis sectio plus mali et doloris quam commodi causatur. In diaeta summa oris teneritudo tepida duntaxat alimenta et potulenta requirit.

102. Novam morborum infantilium et quidem propriorum classem merito constituant illi, qui a labe parentum in liberos progredi (7.y.) proficiscuntur, et quorsum imprimis referimus rachitidem.

103. *Rachitis* veteribus plane incognitus morbus ab elapsu demum seculo in Anglia grassari coepit, non quidem inter rusticos seu gentem duris laboribus adfuetam, sed infantes à delicatioribus parentibus natos. Hodie passim in Germania et Gallia observatur, estque proprie sui generis atrophia (57) cum tumore ἐπιφυτεῶν in ossibus conjuncta.

104. Morbus hic à septimo à nativitate mense pusillos corripit, et vix ante finitum triennium relinquit. Cognoscitur à tumore flaccido capitis et faciei, cute laxa, tumore abdominis, macilenta partium musculosarum, protuberantia ἐπιφυτεῶν ad juncturas ulnae radiive, humeri, tibiae, genu, magnitudine arteriarum et venarum colli, dum reliquae infra positae gracilescunt. In paulo adultioribus adest incessus tardior, instabilitas, assidua sedendi voluntas, collum flexible, caput nutans, praecox ingenii acumen, appetitu et digestione ferme illaes. Adultior morbus exhibit magnum caput, thoracem ad latera compressum, ad sternum prominulum, instar volucris fornicatum, costas nodosas, tibiarum, spinae dorsi curvaturas introsum vel extrorsum directas, abdomen protuberans, dentes cariosos, respirationem difficultem, stertorosam, febriculem lentem, quibuscum omnibus ad mortem usque consiliantur.

105. Corpora rachitide defuncta et secta manifestant glandulas mesenterii scirrhosas, pulmones infarctos, haepar praetumi-

tumidum, viscerum coalitus, principium medullae spinalis solito durius et obstructum.

106. Causarum scrutinium mire exercuit medicorum ingenia, aliis vitium succorum medullae spinalis, aliis connata luis venereae seminea, aliis cacochymiam vappidam, aliis peccantibus diaetae via hic accusantibus. Rem magis tetigisse videntur qui morbi à parentibus in otio et mollitie viventibus, in liberos transfeuntis causam materialem praedisponentem haerere dicunt vel in semine paterno vel in sanguine matris, cuiusunque etiam illa naturae fuerit.

107. Incidit frequenter hic morbus à septimo mense post partum ad sesquiannum, frequentissime à sesquianno ad finem tertii à partu anni. Ultra quintum aetatis annum protractus difficilime curatur, et nisi succumbant aegri, languidam et deformem juventutem parit.

108. Indicationes curativae hujus adfestus sunt, (a) preparare corpus aegri ad faciliorem pharmacorum receptionem. (b) debilem solidorum compagem roborare, (c) uberem et vappidam corporis lympham per pharmaca, diaetam, et regimen imminuere.

109. Primae indicationis (108.a.) initium fiat à leni emetico, pulvere radicis ypecacuanh. omnium convenientissime in potu chocolade exhibitae, tum per iteratas potionies mannat, et alia congrua solventia. Secundae (108. b.) satis fit balneis aquae dulcis cum herbis aromaticis, et nervinis, melissae, majoranae, fl. lavend. cham. nob. rorifmar. etc. confectis, ex quibus postquam extrahuntur pueri, et porileni frictione pannorum aromate perfusorum aperiuntur, ipsorum spina dorsi et abdomen, liquoribus nervino-spirituosis vel linamento roborante, v. g. ung. mariatio, inunguntur et sic ad decubitum praeparantur. Pro adimplenda tertia indicatione (108.c.) ex fonte chirurgico vesicatoria intra primam et secundam thoraci vertebram locanda, ex diata: cibus levis, siccus, minus pinguis, juscule temperatis aromatibus condita

dita, potus paucus meracus, ex regimine: aer siccus, aromate perfusus, vestitus siccus calefaciens, decubitus superlecto et storeis ex herbis aromaticis roborantibus confectis, vestio in rheda laudantur. Ad membrorum curvaturas sensim restituendas sui generis thoraces et ocreae convenient.

110. Novammorborum infantilium classem supremam secundo loco nobis largiuntur morbi infantum congrui (5), tales scil. qui quidem alii in aetatibus etiam obseruantur, frequentissime tamen infantes adoriuntur. Hos omnes causarum intuitu dividimus (a) in morbos a cruda diaeta et regimine, (b) in morbos a plethora, (c) in morbos febres sporadice vel epidemice gravantes, (d) in morbos aucti vel imminentia partium toni, (e) in morbos malae conformatio-

111. Morbis, qui post ablactationem plerumque di- aetae et regiminis vitiis. (110. a) suos debent natales comprehendimus atrophiam ablactatorum, lumbricos, epilepsiam a humbricis, astarides, teniam, pthyriasis, crinones et comedones.

112. In ablactatis quae oritur atrophia (111.) ab inertia et viscositate ingestorum derivanda. Hujus morbi tam parva sunt innitia, ut, qui ex antecedentibus sensim caussis succrescat, vix attendatur. Effectu copiosi hujus viscidii glandulae meseraicae infarcuntur, quo sit, ut membra nectare suo rorido priventur et contabescant. Signa eadem sunt cum atrophia lactantium (57) et qui hoc morbo extinguntur, pariter obstructas et scirrhosas manifestant glandulas.

113. In cura primum laxantia rhabarbarina et mercurialis conducunt, quae posthaec cum stomachicis et aperientibus commutantur, interque ea arcanum duplicatum miris effertur laudibus. Externe balnea et linimenta paulo penetrantiora juvent. In diaeta pro potu utimur decocto polypodii, tussilaginis et sem. foeniculi, et jusculis ex cremore hordei cum sacharo lactis dulcificatis.

114. Lum-

114. *Lumbrici* (III) die Herzwürmer. Sunt vermes teretes, tres, quatuor, plures pollices longi, lumbricorum terestrivm similes, sanguinei coloris, nidulantes potissimum in intestinis tenuibus.

115. Perplura signa multis aliis adfectibus communia hic tacemus, propria propemodum sunt copiosa saliva, tormenta ventris jejuno stomacho, post pastum cessantia, frictions narium, halitus oris foetidus, pavores ac stridor dentium sub somno, rubor pallorque faciei alternatim sece excipientes, inquietudines nocturnae, urina cruda alba. In progressu mali appetitus in carnes ingens, tussicula sicca cum dispnoea, febricula lenta, erratica, motus epileptici.

116. Causa latet in nimia voracitate mellitorum, dulcium, farinaceorum, carnium, et potu impuro, infectorum ovulis inquinato.

117. Prognosis ideo nihil fausti promittit quoniam pueri tandem in febrem anomalam, erraticam depascentem incident, qua accedentibus simul convulsionibus opprimuntur.

118. Therapia lumbricorum absentibus adhuc motibus convulsivis consistit in resolutione viscidi vermium contubernii, eorumque internecione ac expulsione, quare primo porriganter pilulae ex gum. bdell. ammoniaci in vitell. ovi et sap. venet. solutis, interposito simul pulverum scabrorum ac essentiarum amararum usu. Pro expulsione iteratis vicibus purgans ex mercurio dulci in pilulas redacto optimum censetur. In casu nimis rebelli usus certissimi specifici anthelmintici, hydrargyri sc. prorogetur, bibatque aeger nullum potum, nisi cui mercurius currens incoetus fuerit. In febribus verminosis prosunt acidula, succus citri, limonum, spiritus nitri dulcis, phlegma, vitrioli etc.

119. *Epilepsiam a lumbricis* (III) futuram, praeter communia lumbricorum signa, saepe certa in maxillis convulsione species, et recurrentes intestinorum rosiones, aliaque sympto-

ptomata produnt. Curatio requirit mercurialium et topico-  
rum amarorum sedulum et continiatum usum, non neglectis  
simil purgantibus ex intervallo propinatis. Superatis pa-  
roxysmis specifica antiepileptica conducunt, in desperatis  
vero symptomatibus a lumbricis decoctio foliorum hel-  
lebori nigri cum euphoria quandoque propinatur.

120. *Ascarides* (III.) gens pusilla quidem, sed expu-  
gnata difficillima, sunt vermiculi exigui in confiniis recti in-  
testini nidulantes.

121. Produnt hos vermes frequens tenesmus, intolerabi-  
lis ani pruritus, successiva vermiculorum excretio, qui si  
nervos lacefunt, adeo mira caussantur symptomata, ut fasci-  
nationem hic accusaveris.

122. Cura coincidit cum therapia lumbricorum, consi-  
stetque in exhibitione omnis generis amarorum, in primis  
enematis amari, singulis noviluniis injecti, et repetito usu  
elixiris proprietatis sine acido cum spiritu salis ammoniaci  
vinosi parati, quibus praemissis laxantia mercurialia diu satis  
continuanda sunt.

123. *Tenia seu lumbricus latus* (III.) est vermis instar  
fasciae plurium saepe ulnarum longus, geniculis transversis,  
utrinque planis, divisus, in intestinis haerens, curatu dif-  
ficillimus.

124. Signa communia fere sunt cum signis lumbricorum,  
certissimum dant excreti geniculi, cucurbitae seminibus si-  
miles, qui frusta sunt vermis in suos divisi articulos.

125. Rebelles adeo sunt hi vermes, ut curam expertissi-  
mi medici ac virtutem efficacis medicinae saepe eludant.  
Decrescente luna debellantur anthelminticis, sub junctis pur-  
gantibus. Specifica majorem spondent opem, genuina uti-  
nam prostarent! Horum titulo veniunt aqua salsa pro potu,  
decoctum radicis glyzyrrizae et mori.

126. *Phyriasis* (III.) est affectus puerorum, quandoque  
D etiam

etiam senum, quo ingentem pediculorum copiam generant  
in capitis parte capillata, vel in toto corpore qui aegre ex-  
tirpantur, nonnunquam febrem lentam et statum cachecti-  
cum post se trahunt.

127. Curatio praeter laxantia rhabarbarina aequa ac Mer-  
curialia, topicorum specificorum usum postulat, qualia sunt  
decoctum feminis staphisagriae cum lixivio factum, vel lini-  
menta ex pulvere coccularum Indicorum et adipe parata.

128. Per crinones, comedones, (111.) die Mittesser, practici  
intelligunt vermiculos vivos cinereos cuti circa dorsum, sca-  
pulas, humeros, suras inherentes et sub ipsorum nimia fo-  
cunditate infantes ad sui generis atrophiam disponentes.

129. Cognoscitur continuo pruritus et inde ortis vigiliis  
et inquietudine puerorum. Infrequens satis affectus, vixtus  
et amictus immunditiae suos debet natales.

130. Cura exorditur purgantibus mercurialibus, conti-  
nuatur balneis aquae dulcis et laetis, inunctione totius cor-  
poris cum melle, ut extrorsum invitentur vermiculi, tandem  
decocto mercurii currentis una cum melle abluuntur.

131. Ad affectus partim spasmoidicos, partim a partium  
solidarum relaxatione natos (130.) referimus *incubum*, *te-  
nesmum*, *ani procidentiam*, *mitionem involuntariam*.

132. Incubus (131.) affectus muscularum pectoris spas-  
modicus, est nocturna spirandi difficultas, absurdia superiacen-  
tis molis opinione somniantes eludens, germ. die Maare,  
cum sensu suffocationis conjuncta, quae a pleno nimis ven-  
tre et voracitate puerorum dependet.

133. Insom per se affectus tempestiva a somno exper-  
gesfactione cessat. Curatur iterata purgatione, antispasmodi-  
cis repetitis, et frugali coena. Habitualis apud pueros in  
epilepsiam, apud adultos in apoplexiā degenerare potest.

134. *Tenesmus* (131.) est continuus et plerumque inanis  
desidendi

desidendi conatus, quo pueri vel prorsus nihil, vel mucidae materiae pauxillum excernunt. Affectum saepe comitantur febricula, sitis, membrorum lassitudo, vigiliae, appetitus prostratus et id genus alia.

135. Quandoque ideopathicus est majori periculo sti-  
patus, in primis si cum singultu colludit. Symptomatice  
minori cum periculo dysenteriae, diarrhoea, vermis complicatur.

136. In utroque affectu conducunt clysteres emollientes addito pulvere lumbricorum terrestrium, nec non fatus ex lacte tepido et herbis emollientibus. Idiopathicus praeterea pulveres abstergentes salinos et antispasmodicos admittit. Ad mentem quorundam enema ex jure carniū vervecinarum, vel fumigatio fructuum pineorum, ex quibus nuclei sunt exempti, exoptatissima tenesmi sunt remedia.

137. Quando interior recti intestini tunica adeo laxatur ut ex podice propendeat, ani procidentiam morbum appellant. Causae sunt diurna alvi adstrictio, scybala cum summo nisu excreta, tussis pertinax, acris, dysenterica materia.

138. In juvando hoc affectu prolapsum intestinum for-  
veatur decoctione roborante ex floribus rosarum, radice plantaginis, herba millefolii, corticibus granatorum, in vi-  
no pontac coctis, quo facta inungatur oleo verbasci et reponatur digitis ex arte. Tandem spongia eodem decocto  
adstringente madida anno imponatur et relinquatur; quod ipsum toties repetendum, donec intestinum obfirmatum fuerit.

139. *Mictione involuntaria* (131.) seu urinae incontinen-  
tia laborant pueri, si quando dies noctesque citra voluntati-  
tem lotium mittunt. Illa species, quae vigilantibus contin-  
git, utpote ex paralyssi vesicae vel sphincteris laesione orta  
rarissime curatur. Altera sub somno accidens praeternatura-

Iem duntaxat sphincteris laxitatem supponit, quaeque in sexu feminino aegrius curatur quam masculino.

140. Curam suscipiunt medici decocto laxante per aliquot dies continuato, postea roborantibus in- et -externis oppugnetur morbus. Pulveres proin roborantes, ex corall. rubr. nuc. mosch. terr. sigill. hic locum habent, specificie pulvis subtilissimus ex mandibulis lucii piscis et quidem saliti commendatur. Pubis et pectinis regioni applicentur linteamina vino pontac madida, in quo ruta, vel alia astrigentia vegetabilia sunt cocta.

141. Pueris in secundo septenario constitutis solennes sunt *narium haemorrhagiae* (140.) ab incremente sensim phlethora, quae si in solis naturae moliminiibus subsistit, pueros ad phlogoses, capitis dolores, ophthalmias, odontalgias, otalgias, parotides, tumores anginodes, in pituitosioribus ad adfæctus catarrhales disponunt.

142. Moderatae si fuerint, naturae relinquuntur; excidentes autem ant-orgasticis ex conch. citr. nitr. depur. corall. lapid. cancr. speciebus de hyacinthro, vel tinet. pap. rheum. flor. bellid. tractandae sunt, non neglectis tamen per diluviis et aliis, quae sanguinis impetum a capite avertunt.

143. Sub febrium partim simplicium, partim exanthematicarum, aut sporadice, aut epidemice grassantium (141) classe, paucis adhuc acturi sumus de febribus intermittentibus, continuit, variolis, morbillis, rosulis, purpura, diarrhoea, dysenteria, benigna ac maligna, et demum aphitis ablactatorum.

144. Quoad intermittentes, (143.) hae raro corripiunt infantulos lactantes, nisi nutrix vel mater eodem laboret morbo. Quemcumque autem typum servent, extra paroxysmum dentur pulveres testacei, acidum absorbentes, quibus per aliquod tempus in usum vocatis substituantur syrupi laxantes cum rheo parati.

145. Fre-

145. Frequentius laborant tenelli febribus continuis (143.) ex vitio lactis acescentis. Nisi ergo variolae vel morbilli subsunt, quarta quavis hora detur pulvis absorbens ex testaceis marinis cum lacte, interdum etiam emulsiō ad extinguentam sitim. Quarto morbi die purgantur infantes syru- po de rheo. A purgatione abstinendum, si febris per metastasin, phymate aut parotidibus apparentibus, terminatur, quo in casu tumor suppurantibus maturandus est.

146. In ablactatis pueris tertiane intermittentes (143.) quandoque occurunt, rarissime quartanae. Vomitus, si vomituriunt, promoveatur radice ypecacuanhae, si minus detur pulvis CORNACHINI, qui pro dispositione naturae nunc vomitum, nunc fecessus, nunc sudores ciebit. Protra-eta febre, die intercalari digestiva in usum sunt vocanda, quibus incassum adhibitis chинаechinae infusio propinetur. In diaeta vitentur carnes, praescribantur farinacia nec non potus tenuis et sufficiens.

147. Febre acuta et saepe contagiosa correptis infantibus, lactantibus aequa ac ablactatis, si tertio vel quarto morbi die ad cutim propelluntur pustulæ, in principio rubrae, mox albae cum circulo rubicundo, variolæ (143) adesse dicuntur. Has dividunt in discretas, confluentes, benignas, malignas, anomalias.

148. *Discretarum* (147) historiam paucis habe. Pueri corripuntur horrore ac rigore, sequitur calor intensus non remittens, capitis et dorsi dolor vehemens, vomitatio, somnolentia. Prorupturas postulas saepe antecedunt narium haemorragia, motus epileptici, benignarum prodromi. Quar- to maxime die erumpunt pustulæ, primo in facie, dein collo, pectore, toto corpore, cessantibus plerisque symptomatis. Crescentes postulae die quinto et seq. elevantur, albescunt, cute intermedia satis florida, sed intumescente cum primis in capite. Die undecimo siccantur, et tumor facie remittit.

149. *Confluentes* dicuntur variolae (147), quarum symptomata sunt atrociora et eruptio nimis praecox. Crescente morbo et febre superstite pustulae haud in spectabilem attollunt molem, sed invicem confunduntur, disparente omni cute nuda. Pustulae tumescentes ad instar pelliculae albae apparent. In adultis adeat salivatio, in infantibus diarrhoea fero superveniens.

150. *Malignae et anomalae* (147) dicuntur quae praemature efflorescunt, sed subito retocedunt, carent circulo purpureo, in centro foveolas habent cum nigrescente limbo. Hic raro facies intumescit, sed saepe circa suppurationis terminum diarrhoea supervenit.

151. Differunt variolae inter se quoad magnitudinem, contentorum copiam, et indolem, differunt quoque ab aliis morbis, morbillis, rosulis, purpura.

152. Ex his (148) patet, variolas diversa sortiri stadia, tempus scilicet contagii, eruptionis, maturationis, et desiccationis, quae omnia suis propriis phaenomenis dignoscuntur et diversam medendi methodum exposunt.

153. Phaenomena primi stadii (152) ab invasione ad quartum usque diem sunt horripilatio, rigor, febris acuta, calor ingens et perpetuus, oculorum splendor, capitis et dorsi dolor, nausea, vomitus, inquietudo, somnolentia, urina rubicunda, motus epileptici etc.

154. In secundo morbi stadio puncta apparent parva, rubra pulicum morsus instar, primo in facie, mox in brachiis, manibus, tandem toto corpore, mitescentibus plerisque symptomatibus. Tunc pustulae omni hora augentur, elevantur, inflammantur, tenaque cute resurgit dolor, calor, imo febris, si perspiratio crassa variolatum crusta impeditur, eo saepe tempore accedunt anxietas, faucium dolor, diarrhoea, dysenteria, mictus cruentus, donec quinque vel sex dierum spatio, pustulae in totidem convertantur apostemata.

155. In

155. In confluentibus, quae nascitur crusta eo semper densior est. In malignis ante suppurationem adfunt vesiculae lymphae rubella; plenae, gangrenosae plane indolis.

156. Tertium morbi stadium exhibit pustulas albantes sensim flavescentes, puris adeo plenas, ut rumpant saniemque effundant. Hoc in primis tempore intenditur febris secundi stadii a sufflaminata perspiratione, cumulantur inquietudines, totum corpus ulcusculis foedum, doloris est plenissimum.

157. In quarto morbi scilicet desiccationis articulo, si febris increscit, in vitae periculo versantur tenelli, quoniam ex puris resorbitione in sanguinem pro varietate decubitus, novi procreantur morbi, deliria, dysenteria, tabes.

158. Causa hujus epidemici morbi videtur latere in gremio aëris atmosphaericæ quacunque demum ratione infecti. Nato jam morbo contagium ejus accessu ad aegros propagatur. DIGBAEI ET DOLAEI de origine variolarum opiniones docta nobis sunt somnia.

159. Quae in prognosi salutaria sunt ad sequentia reducuntur. Quo mitior status contagii (152) eo levior status inflammationis: quo tardius erumpunt, eo levior morbus: quo citius absolvitur inflammatio et suppuration post lentam eruptionem, eo melius: quo pauciores, majores, candidiores, plus a facie remotae sunt pustulæ, eo mitiores: quo tensa cutis plus tumet et rubet, pus magis blandum est et coctum, eo major salutis spes affulget, quae maxima est, si morbi declinatio cum ἀπνυπεξίᾳ et appetitus restitutione fit.

160. Infidam imo funestam prognosin designant variolæ minores, intricatae, fuscae, nigrae, ichorosae, caput in primis obsidentes, cutis tensa, non rubens sed pallens, nisi accesserit salivatio, aut pedum vel manuum tumor, petechiae liberae cuti interspersae, collum et facies die septimo non intumescens, cum urinae suppressione. Variolis discretis laborantes

borantes octavo, confluentibus, undecimo die interire obseratio est SYDENHAMII.

161. Curatio siat secundum diversa morbi tempora, in primo convenit merum agere naturae spectatorem et si desideriis pharmaca sollicitantium parentum sit parendum, nil nisi pulveres absorbentes, diaphoretici vel emulsiones ex iisdem compositae sunt prascribendae. Methodum stimulum inflammatorium primi hujus stadii venae sectionibus, acidulus nitrosis nimium compescendi raro in Germania tutam experimur.

162. In eruptionis stadio (154) cum primis si tarda fuerit continuandum est diapnoicis fixis, vel concedi, potest usus essentiae alexipharmacae lenioris cum infusis theiformibus, et curandum ne suppuratione nimis copiosa sit, et procul à capite, quod viatu tenuissimo, potu diliente et aciduisculo, regimine frigiduisculo imperatur.

163. Durante variolarum maturatione (156) si cuncte rite procedunt, nulla exsurgit indicatio, nisi forsitan ad lenientes dolores, somnum conciliandum et febrem crescentem mitigandam. Priori scopo praescribuntur emulsiones, posteriori diaphoretica fixa, an vero lentium decoctio specificae variolarum maturationem accelerat, ulteriori reservamus experientiae.

164. In ultimo morbi articulo (157) mitissimis antifebribus est adhuc continuandum, et febris non nisi hoc in stadio purgans cum euphoria admittit. Sordium reliquiae sinito morbo expelluntur infuso theiformi,

165. Toto denique curationis tempore, ne inops consilii videatur medicus studeat urgentia lenire symptomata et noscat: affectus soporosos sub primo stadio venaefectionem admittere, et mori pueros si nullus sequatur bonus effectus. Salivationem excedentem temperari enemate emolliente bezoardicis fixis et imprimis floribus sulphuris. Ardori fauicium succurri gargarismate demulcente. Oculos defendi  
tu

tu lactis crocati. Alvum in primo et quarto stadio tuto, in reliquis non nisi urgente indicatione solvi. Haemorrhagias in statu contagii nullius esse periculi, circa maturitatem haeteroclii quid praes se ferre. Variolis confluentibus laborantes à sudoribus arcendos et ptyalisum promovendum. In febre nimis accensa ex mente WALDSCHMIDI tineturam quatuor florum cordalium cum phlegmate vitrioli porrigen-dam esse. In tergiversatione variolarum praeesse liquorem cornu cervi succinatum aqua quadam analeptica dilutum. Tandem non temere linteamina ante declinationem esse com-mutanda.

165. Febris continua exanthematica, in qua pustulae non suppurant, sed sponte iterum evanescunt, *morbillos* (143) constituit.

167. In morbi decursu observantur primo die calor et fri-gus, sequenti perseverat febris cum insigni aegritudine, siti, inappetentia, lingua alba, gravedine, somnolentia, narium et oculorum stillicidio. Prorumpentes maculae secundo et tertio die conspiciuntur rubrae, primum in facie, sensim pe-store, ventre et extremitatibus, cum intumescentia palpebra-rum, sternutatione, aliquando vomitu. Circa septimum di-em aspera fit facies, siccantibus pustulis. Octavo evane-scunt, austra paulisper febre, spirandi difficultate et tussicula.

168. Omni prorsus periculo vacant, nisi constitutio epi-demica malignitatem simul afferat.

169. Curatio eadem fere est ac in variolis, quare sub initio paucissima remedia sunt exhibenda. Eruptio, si tergi-versatur, lenissimis diaphoreticis et alexipharmacis est pro-ritanda. Temperandi scopo prosunt emulsiones reiteratae. Symptomatibus (165) eadem ratione, ac in variolis, obviam itur.

170. Rosulae (143) die Mitteln, rectius die Röteln, a mor-billis, non nisi pustulis magis urentibus et rubentibus differunt.

E

Ter-

Tertio morbi die erumpunt, septimo colorem mutant, et sub desquamatione cuticulae evanescunt. Curatio eadem est cum variolis ac morbillis, quare temperantia et diaphoretica fixa omnem hic paginam absolvunt.

171. Quae quandoque in infantibus ante et post dentitionem observatur *purpura* (143) mere scorbutica et febris expers est. Unice dependet a calidore regimine. Medicis opem vix poscit, cum intra quatuordecim dies una cum cuticulae squamulis abscedat et evanescat.

172. *Diarrhoea* (143) in bimulis, trimulis et adultioribus pueris pro causa habet commissos in diaeta errores, vel etiam refrigerationem partium externarum. Urgentibus destituta symptomatis naturae viribus relinquatur, si vero cum nausea, vomitu, febre, appetitu dejecto est conjuncta, laxantia rhabarbarina postulat.

173. Infantum pariter ac adulorum *dysenteria* (143) est fluxus alvi mucoso-sangvineus, qui invadit cum vel sine horrore, subsequente calore febri, sequuntur postea alvi tortina, frequentes dejectiones et tenesmus. Dividitur in benignam et malignam, utramque saepe epidemicum.

174. Morbi sedes tota est fistula intestinalis, non tamen semper, crassis scilicet intestinis affectis, febris nulla adest, pueri obambulant et leviter aegrotant. Tenuibus simul corruptis, dejectiones sunt humorosae magis dolorificae, febre stipatae. Ventriculo aegrotante praeter dejectiones et febrem adest vomitus, ita ut quo altius radicetur caufa, eo plura adsinunt symptomata.

175. Causae antecedentes sunt perspiratio suppressa, quae cum autumno maxime laeditur, hoc tempore quoque frequentem efficit morbum. Proxima est materia acris caustica, villos intestinalium laceans, quae vel ex ingestis horreis fructibus fermentescentibus, vel ex miasmate per aera disperso derivanda est.

175. Ipsa

176. Ipsa caeteroquin aetas infantilis, ac pressus infantes lactantes, commodius ferunt morbum quam adulti. Appetitus hic satis vegetus salvum a labe ventriculum declarat. Quo vero exquisitior febris, quae quippe symptomatica atque ex inflammatoriarum genere, eo plus periculi. Non minus excretae carunculae, vel purus putus sanguis, sinistri sunt augurii, lethalem vero exitum convulsiones supervenientes nuntiant.

177. Dysenteriam benignam saepe bis iteratum intra bium ex rheo pharmacum curat, in primis si versus noctem propinetur pulvis absorbens. Extrinsecus suo non destituntur usu stomachica emplastra et clystres emollientes. Praesente nausea et vomitu, radix ypecacuanha, quae per se specificum est, tuto datur, tandem lenissima anodyna cum absorbentibus maritata curae colophonem imponunt. In dysenteria maligna, primis diebus, medicus de mitiganda febre magis sollicitus esse debet, qua temperata eadem methodo procedendum est.

178. *Aphetae* (143) die Schwämme, infantum primi et secundi septenarii nunquam apparent sine febre, dolore, calore intensiori, et plerumque febris cuiusdam continuae (145) effectus sunt. Quandoque epidemice grassantur, et propter contagium pueros primi, secundi imo quandoque tertii septenarii promiscue corripiunt, tumque adeo periculosae sunt, ut potiorem aegrotantium partem e medio tollant.

179. Curationis cardo in eo potissimum versatur, ut tanto morbi decursu perspiratio datis lenissimis diapnoicis et sufficienti potu aequabilis conservetur. Quam enim, proxime elapsi anno, methodum secuti sunt Gallorum Aesculapii in eodem hoc morbo Parisiis grassante; qua iteratis venae festionibus, emeticis, purgantibus exanimes reddiderunt formosissimas puellas, eam damnamus et longe proscribimus.

180. Vitiis denique a mala conformatione vel consuetudine natis (110) accensemus *ganglia, strabismum et gibbositatem*.

C 2

181. *Gangli-*

181. *Ganglion* (180) Ueberbein, est tumor mobilis, indolens, in partibus tendinosis ossium articulationibus, carpo vel tarso vicinis excrescens, oriundus ab externa violentia, lapsu, collisione, gravia elevandi nisu etc.

182. Curatur discutiendo tumorem, sola frictione diurna cum saliva jejuna, vel impositione laminae plumbeae ejusdemque forti compressione, vel quoque iterata percussione cum malleo ligneo. Maturatio vel extirpato tumoris periculi plena est.

183. *Srabismus* seu luscositas vocatur, si alterutra, vel ambae pupillae non in lineis parallelis, sed convergentibus aut divergentibus objecta intuentur. Culpa haeret in sublato aequilibrio actionis musculorum utriusque bulbi, et dependet a socordia nutricum, quae infantibus permittunt objecta proxime nimis ad oculos posita crebro et diutius intueri, quo fit, ut musculi abducentes justo longiores evadant, et postlimio impeditant, quominus oculi parallelis lineis dirigantur. Curatio non tam remediis pharmaceuticis quam rectificatione strabisimi, scilicet peculiaribus larvis obtinetur.

184. *Gibbositas* (180) infantibus magis quam adultis familiaris, propter porosas vertebrales et tenuia ligamenta, oritur plerumque a caulis exterioris violentis, rudi imprimis nutricum et gerularum contrectatione, qua vertebrae per imperfectam luxationem ex situ naturali disforquentur, atque tum magis excrescant.

185. Sanantur hi affectus in infantibus per thoraces et cataphractas, ex spinis balenae et laminis ferreis ita adaptatas, ut excrescenti tumori fortissima opponatur compressio, quem in finem ejusmodi thoraces interius, ubi tumori sunt contigui, pilam vel eminentem superficiem habent, quae dies noctesque compressio perpetuatur, et non solum anterior excretio prohibetur, sed et pars excreta iterum retropellitur. Gibbus tegitur emplastro nervino Vigonis, aut inungitur spiritu matricali. In adultis raro cura felicem sortitur successum.

186. Non dubitamus, unum alterumve superesse affectum, qui ad morbos infantum vel *proprios*, vel *congruos* pertineat; sed, quum specimen nostrum in magnam excretum sit molem, a prolixiori morborum infantium enumeratione abstinemus, atque toti opellae sub spe rati finem imponimus.



200 A 6272

f



TA-OL

Retro ✓





45

SPECIMEN IN AVGVRALE MEDICVM  
SISTENS  
APHORISMOS  
DE  
COGNOSCENDIS ET CVRANDIS  
INFANTVM MORBIS

QVOD  
AV SPICE DIVINO NVMINE  
EX DECRETO  
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
PRAESIDE  
CAROLO AVGUSTO DE BERGEN  
MED. DOCT. ET PROF. FVBL. ORD. EIVSD. FAC. h.t. DECANO  
HAEREDITARIO IN ROSENGARTEN  
PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
LEGITIME IMPETRANDIS  
IN AVDITORIO MAIORI  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI  
SUBMITTIT  
AVCTORE TRESPONDENS  
IOHANNES SIGISMUNDVS SCHMID

SILESIUS.

AD DIEM XXVIII. NOV. MDCCCL.

FRANCOFVRTI AD VLADRVM  
EX OFFICINA IOHANNIS CHRISTIANI WINTERI  
ACAD. REG. TYPOGR.